DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE *Fonticulorum Setaceorumque usu:*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS OGILBY, HIBERNUS.

Ad diem 28 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
M,DCC,LVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FONTICULORUM SETACEORUMQUE USU.

ALEXANDRO OGILBY

PATRI SUMMOPERE COLENDO

S.

INTER varios patronos, quorum virtutes hac occaſione celebrare liceret, pietas mea et animus gratus te praecipue indicant, quo duce et ſtudiorum hortatore medecinae operam dedi, et cui haſce qualeſcunque primitias jure conſecro, publicum reverentiae teſtimonium

ROBERTUS OGILBY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FONTICULORUM SETACEORUMQUE USU.

DUM in corpore cujuſvis animalis omnia organa recte ſe habent, et diverſae ſecretiones rite peraguntur, nihil ſuperflui manebit; et corpus in ſanitate ſervatur, cum calido illo influente *Harvei quod perpetim requiritur, ad animalium membra fovenda.

SED quum humores alieni, qui ad nutritionem inepti ſunt, in ulla parte corporis accumulantur, et ductibus communibus excernentibus, evacuari non poſſunt; natura, ut ſaepiſſime videmus, tales humores ſpontaneis ulceribus in partibus exterioribus corporis, expellere conatur, ut hoc modo, corpus cauſa multorum morborum liberaret.

* De circulat. ſang. p. 277.

Hi naturae conatus quotidie exemplis confirmantur, et praecipue in morbis chronicis, in quibus nocens materia ſemper renata continuam excretionem exigit. E capitum cute ulcerata in junioribus acre ſerum nonnunquam defluit, qua evacuatione aegri non parum ſublevantur; ſed ſi haec ulcera imprudenter medicamentis aſtringentibus cohibeantur, priuſquam materiae acris ſatis expellitur, epilepſiae, aſthmata, plurimaque alia mala ſequuntur, ni exitus reſtituatur: caſum hujuſmodi notavi, in homine diu doloribus capitis, dorſi, et articulorum vexato, qui ſcabiem contagione accepit, et paulo poſt, morbo priore liberatus fuit.

Praeterea, obſervationes ſunt apud diverſos auctores de aegris, qui ulceribus ſinuoſis ſpontaneis feliciter curati fuerunt. Vir quidam, nuper ulcus ſinuoſum naturale in coxa habuit, quod quum medicus illius aliquandiu apertum retinuiſſet, aegrotum moleſto aſthmate liberavit, et e ſcorbutico, ad ſanum corporis ſtatum, reſtituit.

Ex iis manifeſtis boniſque voluntariarum evacuationum effectibus, veriſimillimum eſt eos veteres, et accuratos obſervatores, Hippocratem, Archigenem, Galenum, Aetium, Avicennam, &c. in

hujusmodi

hujuſmodi morbis imitatos eſſe naturam, applicando ferra candentia corporis partibus exterioribus, ad cutem urendam excitandaque ulcera, ut nocens materia expelleretur. Hippocrates * inquit, "Quibus a diuturno coxendicis morbo vexatis "coxa excidit, his crus tabeſcit, et claudicant, ni "uſti fuerint." Etiam uſus ulcerum a Celſo † frequenter commendatur; e. g. in capite de morbo comitiali, requirit, "ferro candente, in occipitio, "quoque et infra, qua ſumma vertebra cum capite "committitur, urere duobus locis, ut per ea per-"nicioſus humor evadat." Araeteus ‡ de caephalea dicit, "novacula deraſis capillis, urendum eſſe "caput."

Porro, quo certius conſtet de felicibus horum ulcerum effectibus, curationes aliquas uſu eorum praeſertim perfectas exhibebimus, a morbis capitis incipiendo, e frigidis, aquoſis, viſcidis acribuſque humoribus, oriundis; viz. cephalalgia, epilepſia, apoplexia, fluxione ad oculos, dentium doloribus, &c. Lanfranc. || de faemina narrat, quae diu voce privata eſt, etſi multifariam medicamenta

* Aphor. 60. ſect. vi.

† De Med. lib. iii. cap. 23.

‡ De morb. diuturn. p. 114.

|| Tract. iii. cap. 18.

menta adhibita fuiſſent; et tandem fonticulo in ſutura coronali facto, brevi vocem recuperavit. Et in Timaei * obſervationibus, caſus memoratur viri, qui affectus eſt rubedine oculorum, lachrymis, et videndi imbecillitate, in cujus brachio, fonticulum ille excitavit, et fluxum ejus ſalutarem diu hic homo expertus eſt, antehac perpetuis diſtillationibus obnoxius.

HILDANUS †, pueri qui patiebatur acceſſiones epilepticas ſemel in die, exemplum praebet, cui multa medicamenta nihil profuerunt, donec ille adveniens ſetaceum excitavit, et hoc modo puer malo paulatim liberatus eſt. Etiam alibi dicit, ‡ homini quadragenario, et phlegmatico, qui dolore capitis immani laboraverat, poſtquam plurima medicamenta inutiliter tentata fuiſſent, ſetaceum, ſe adhibuiſſe, et aegrum indies manifeſtam doloris mitigationem ſenſiſſe. Etiamque, caſus memorabilis a noſtro celeberrimo Profeſſore Anatomico proditus, evidentiſſime ulcerum artificialium efficaciam demonſtrat; *ſcil.* puer e gravi ophthalmia a ſetaceo in cervice fixo convaleſcebat, cum vero, ſetaceo

* Cap. xxiii. p. 49.

† Chir. cent. i. p. 41.

‡ Cent. iv. p. 288.

ſetaceo conſolidato, morbus rediret, rurſus eodem modo removetur, et hoc aliquoties factum eſt.

Nunc ad morbos pectoris de talibus malis humoribus ortos pervenimus, et, ab obſervatione Proſperi Alpini * incipiemus, de homine multos annos aſthmate vexato, et nullo remedio adjuto, cujus pectus triplici in loco inuſſit, ulceraque diu aperta ſervavit, quo auxilio homo ſanatus eſt. Glandorpius † in tractatu de fonticulis, ſic ſcribit, "Ego novi virum quendam, qui phthiſin jamdiu "contraxerat, corporis conſtitutione melancholica, "et varia medicamenta fruſtra a medicis doctiſſimis "adminiſtrata, fontanella a me adhibita in bra-"chio ſiniſtro, intra ſemeſtre a malo liberatus eſt, "et vigorem priſtinum paulatim recuperavit." Hic addenda merito obſervatio clariſſimi Anatomici hujus Academiae Profeſſoris, qui memorat, mulierem quandam equo delapſam, brevi poſtea pus tuſſe expuiſſe, et etiam inter alvi excrementa effudiſſe, ſeque ſuſpicantem, mali fomitem eſſe circa diaphragma, chordam lateri inſeruiſſe quà pus exhauſtum fuit, et aegra cito optime valuit.

Ad

* Med. Ægypt. lib. iii. cap. 12.

† Cap. 16. p. 95.

Ad morbos in abdomine curandos, *viz.* hydropes, diarrhoeas, fluorem album, &c. saepe fontanellae conducunt. Celsus ita suam opinionem tradit, * "Ferramentis candentibus pluribus locis venter, (quum hydrops adsit) exulcerandus est, et servanda ulcera diutius." In nonnullis uteri affectionibus, utilitas ulcerum affirmatur ab Hildano †, qui notat casum matronae, per aliquot annos menstruis albis laborantis, sed setaceo admoto, et fluxu remittente, paulo post concepit, filiamque peperit, etsi antea nunquam uterum gestaverat.

In morbis superiores aut inferiores extremitates afficientibus, fonticulorm usus aliquando maxime necessarius est, ut in rheumatismo, arthritide, &c. etiamque in vetera ulcera claudendo, maxime prodest. Doctissimus Mead ‡ fonticulos in coxendice, ad articulorum dolores levandos, excitari jubet. Nec non Hildanus ||, talis evacuationis declarat se vidisse felicem successum, in homine summe cacochymico dolore sciatico vexato, in cujus brachio, ulcus a cauterio

* De med. lib. iii. cap. 21.
† Cent. iv. p. 298.
‡ Mon. med. cap. 13.
|| Cent. iv. p. 347.

cauterio factum eſt, ad pravum humorem derivandum, et his modis dolore levatus eſt aeger convaluitque.

Felicibus effectibus ulcerum, ſive naturalium ſive artificialium, tam multis exemplis jam probatis, de ratione eorum effectuum, nunc breviter dicemus.

Ratio horum effectuum pendet a ſecretione in illis, diverſa a quacunque naturali in corpore; particulae enim alienae in ulcera ſecernuntur, et orificia vaſorum in ea aperientia mutationem ſubeunt, quod ex differentia materiae ex vulneribus effuſae, percipi poteſt.

Quando vulnus inciſione factum eſt, ſanguis ruber ſtatim effunditur, ſed cito vaſa orificia ſua contrahentia, tantum tenuem liquorem tranſmittunt, dein inflammatio oritur, obturantur vaſa, et ſiccum evadit vulnus; ſed brevi tempore vaſorum orificiis rurſus apertis, humori albeſcenti pus dicto tranſitus conceditur; materies interim rubra, et valde ſenſilis, quae caro dicitur, e fundo lateribuſque ulceris excreſcit, qualis etiam ſemper videtur in fonticulis et ſetaceis, aliiſque ulceribus; per orificia vaſorum hujus novae ſubſtantiae, particulae humorum reliquis organis excretoriis

imperviae

imperviae et noxiae, e corpore expelli possunt, cum excretione continua, donec fomes morbi omnino deleatur.

Praeterea dum ulcera arte facta dolorem insignem excitant, in parte qua instituuntur, systema nervorum notabiliter afficiunt, atque dolores in aliis partibus corporis minuunt; cum autem a talibus doloribus saepe pendeant obstructiones, et humorum congestiones in corpore nostro, facile patet quanto usui esse possint ulcera artificialia, ad has minuendas et tollendas.

Humores hic excernendi, sunt superflui et aquosi, acres, viscidi, et terrestres.

Superflui liquores, qui in corpore abundant, saepius aquosi sunt; hisce autem dominantibus, vasa cito laxa fiunt, amittuntque elasticitatem, lymphaque ex arteriis capillaribus secreta, non a venis respondentibus absorpta erit, ut observandum est in hydrope quocunque, ubi quo major aquarum collectio, eo magis vasa compressa sunt, et debiliora reddita; hic, observatio in Hildani * chirurgia occurrit, hominis, imbecillitate stomachi, cum tumoribus aquosis in plurimis partibus corporis, reliquisque symptomatibus, plerumque hos comitantibus

‡ Cent. vi. p. 549.

tantibus vexati, qui fontanella integre curatus eſt.

Acres particulae cum admiſſae ſint extrinſecus, aut in minoribus vaſis generatae, ex multis quaſi ſpiculis acutis conſtant, in latere canalium haerent, et liquoribus a tergo urgentibus, in ſubſtantiam canalis magis magiſque agi poſſunt, qui per ſtimulum contrahitur, hincque acres particulae profundius actae vas debilitant, et demum erodunt; contractione autem fibrarum, major fit continui ſolutio, donec globuli ſeroſi vel etiam rubri ſanguinis effunduntur, unde gignitur tumor qui proximos nervos diſtrahit cum ſummo cruciatu; ſic variae morboſae affectiones inductae ſunt: vel quando humor acris extravaſatus, partes valde ſenſiles vellicat, irritatio haec ſpaſmos, inflammationes, &c. afferre poteſt; tales humores per ulcera in externis partibus excernantur.

Omnes liquores in corpora noſtra cum chylo inducti, qui paulo poſt in circulationem introeunt, aliquo gradu viſciditatis praediti ſunt, quae per actionem vaſorum ſolvenda eſt; quando vero haec actio partim ceſſat, viſcidae particulae arctiſſime cohaerentes, ſtagnationes formant in una aut multis partibus corporis, maxime in vaſis capillaribus

et actae interdum a liquoribus a tergo vasa perrumpunt; sic dolorem efficient.

Quando terrestres humores in corpore, proprio suo vehiculo privati sunt, per vasa minima transmitti non possunt, sed vasa obstruentes, morbis materiam praebent; ad illos humores emittendos, praeternaturalibus excretionibus utendum est.

Humoribus praesertim hos morbos inducentibus, in quibus fonticulorum, aut setaceorum usus laudatus est, jam descriptis; deinceps inquiremus quomodo in corpore formentur,

Sanguinis indoles multis modis mutari potest, ita ut morbi diversi in corporibus nostris, a tali mutatione generari possint.

1mo, Quum excretio humoris superflui, quae naturaliter effici debet, quovis modo obstructa sit, et omnes nostri humores quo diutius in corpore manent, eo plus vergunt in alcalescentem et putridum statum, liquores igitur qui in corpore ultra tempus a natura concessum retinentur, magis magisque putridi fiunt, ergo varios morbos producunt.

2do, Quando chylus in corpore nostro heterogeneus est, et in sanguinem laudabilem converti nequit,

nequit, vertigines, cephalalgias reliquasque obstructionis sequelas inducit; quamobrem apparet, malum chylum humores, viscidos, et etiam acres, cito reddere posse.

3tio, ATMOSPHERA nostra secundum sententias *Boylei, †Boerhaavii, multorumque aliorum, est chaos confectum ex multis diversis corpusculis, in unam fluidam molem congestis, quod varias mutationes subit, pro diversa portione particularum, ex quibus constat; itaque quum corpora nostra tam magnam quantitatem harum particularum accipere possint, ab inspiratione in pulmones, aut a vasis absorbentibus in superficie corporis, vel cum chylo; minime mirandum est, si particulae inter illas corruptae, misceantur cum liquoribus in corporibus nostris, cachexias, multosque morbos inde nasci. Hoc merito ab Hippocrate observatum esse vidimus, aditum inter montes Illyricos obstruendo, ne vapores pestilentes in Graeciam admitterentur.

4to, QUUM vis vitae major est quam in statu naturali, actio vasorum in fluida contenta augebitur, itaque tenuior et aquosa pars liquorum dissipabitur,

* Oper. vol. v. p. 117.

† Elem. Chem. vol. i. p. 461.

pabitur, oleosae particulae pro mitibus rancidae et putridae fient, igitur tumores, inflámmationes, &c. succedent.

5to, E contrario, quando vis vitae minor est, alii effectus diversi generis sequuntur, solidis enim nunc redditis magis laxis quam antea, et minori vi in contenta sua agentibus, humores indies magis viscidi fient, ergo vasa minima cito obstruentur, et tumores phlegmatici, multaque alia mala orientur.

Secretio ex ulceribus a naturali quacunque secretione differt, ob causas jam dictas, *scil.* diversitatem liquorum hic secretorum, et orificia vasorum mutata.

Qualis excretio in ulceribus evenit?

Ex multis experimentis Doct. Pringle* affirmat, crassum illum humorem, quem in fonticulis videmus, ortum esse a densioribus particulis seri per vasa transmissi, quae particulae (tenuiore parte evaporata) in fonticulis aliquandiu manentes, formam puris assumunt. Sed aliquid praeterea certe ad puris formationem necesse est. Quum enim hi humores, qui ex orificiis vasorum in fonticulos secernuntur

* Obs. p. 390.

cernuntur, cum oleoſis particulis vicinis mixti ſunt, tunc brevi temporis ſpatio, indoles eorum hic remanentium in album et aequalem illum liquorem pus dictum a calore loci mutatur.

Succis fere omnibus in toto corpore depravatis, et in nulla particulari parte coërcitis, ſed nunc unum, nunc alium locum ſenſilem irritantibus, non eſt, quod hic illeve corporis locus eligendus, ſed in quavis parte aegris commoda fonticuli formentur.

Quando humor laedens cujuſcunque generis, in aliqua parte corporis collectus eſt, quam aut acrimonia vellicat, aut copia ſua partes circumjacentes comprimit, ſic convulſiones, inflammationes, &c. producere poteſt; in talibus morbis, loca proxima aut remota humoribus malis evacuandis, eligenda ſunt, ad derivationem, revulſionem, aut ſtimulum.

1mo, Morbis ex obſtructione, vel humoribus extravaſatis in quocunque loco coërcitis, orientibus, quum exitus aptus prope partem affectam excitatus eſt, humores alieni ad talem exitum alliciuntur, igitur cauſa morbi auferetur, et aeger cito malo liberabitur: Ut inter coſtas in diatheſi morboſa pulmonum, vel empyemate, et ſubter umbilicum

bilicum in hydropicis; praeterea, quando humores illi excernendi tranſitum ab origine ſua ad alium locum (ut de capite ad pectus vel articulos) inveniunt; fonticuli aut ſetacea derivando materiam inſerviunt.

2do, Serosi vel alii tenues liquores in partibus internis collecti, non ſolum hic adveniunt in alveis vaſorum ut emittantur, ſed etiam per poros ſolidorum dimittuntur, nam motu fibrarum impelluntur, donec ad eas partes expulſioni proprias perventum eſt.

3tio, A ſtimulo partem ullam a loco affecto paulo remotam irritante, et ſic nocentium humorum copioſum effluxum efficiente, pars hominum morbo laborans levatur, ut in ophthalmiis, febribuſque nervoſis. * Probatiſſimum igitur eſt remedium ad quaſcunque partes humorum defluxione vexatas.

Ulcerum artificialium, quae in partibus exterioribus corporis excitantur tres ſunt ſpecies, quarum una tantum ad cutis ſuperficiem, ſed duae alterae in telam cellularem penetrant, quae in perpendiculares et ſinuoſas dividuntur.

Qualia

† Proſp. Alp. Med. Ægypt. cap. 12.

Qualia haec ulcera, ubi, et quomodo excitanda ſunt, cum ſymptomatibus iis ſupervenientibus, nunc paululum dicemus.

Post applicationem veſicatorii ad ullam partem corporis noſtri, cuticula ſublata, tenuis liquor e vaſis in cute nudatis effunditur, qui (ſi pars tecta ſit) cito ſpiſſitatem puris aſſumit, ante cujus formationem cum carne rubra circa fonticulum oriente, et evacuationem copioſam effectus bonus vix expectandus eſt.

Ad talem evacuationem continuandam, paululum ung. epiſpaſtici, vel unguenti compoſiti, ex pauxillo cauſtici communis, et quantitate majore ung. baſilici, applicetur; ſed cavendum eſt ne cauſticum aëri diu exponatur, ut qualitatem ſuam non amittat.

In iis ulceribus excitandis, debemus ſedulo eligere partes, ubi minima moleſtia (ex irritatione vel veſtibus partem fricantibus) aegro oriatur, quamobrem in vertice capitis, ubi etiam faſciae facilius retineantur, haec ulcera plerumque excitari debent.

Cautelae

Cautelae hic necessariae sunt.

1mo, Cavere, ne fonticuli in partibus valde teneris et nervosis in capite excitentur, quando cephalalgia maxime acuta cum aliqua externa inflammatione adest, sed potius in loco remoto, *scil.* in brachio, ubi etiam excitari debent, quum ulcera molesta ex saniosa materie effluente cavenda sunt. Praeterea, si inflammatio dolorque fonticulos comitentur, fomentis de herbis siccis, ut rore marino, &c. utendum est.

2do, Praevertere ulcerationem vicinarum partium ab acribus humoribus aliquando ex fonticulis fluentibus, et faetorem, qui fonticulos plerumque comitatur, has partes aut aq. calcis et rosarum lavando, aut unguentis lenibus inungendo.

3tio, Auferre carnem luxuriosam circa ulcus magis accrescentem quam aeger ferre potest, aliquanto plus caustici ad unguentum addendo, vel aeruginem aeris, aut praecip. rub. cum alum. usto in partem spargendo; et si adhuc caro accrescat, quaedam universales evacuationes, ad humores aliò divertendos necessariae sunt.

Secunda species ulcerum artificialium, unum foramen introrsum in telam cellularem habet, quod uno

uno vel pluribus globulis rotundis apertum ſervatur.

Hi fonticuli a veteribus cauterio actuali plerumque facti fuerunt, *ſcil.* panniculi petias, vel fungos, ſupra quamlibet partem urendo; et hac methodo, vel ferro candente utebantur, donec chemia vigere incepit, quo tempore cauteria potentialia, his uſibus inſerviebant.

Methodus fere ſemper uſitata, ad ulcera cum cauterio actuali facienda, eſt ferrum candeſcens ad partem aliquam applicando, ita ut cutis ſolum peruratur, quo peracto, axungia vel butyrum ad auferendum eſchar adhibetur, tum quaecunque extranea ſubſtantia, quam in ulcere continuari volumus, inditur.

In fonticulis potentiali cauterio excitandis, emplaſtrum adhaerens (in quo foramen juſtae magnitudinis factum eſt) adhibetur ad partem, et intra foramen pars quae urenda eſt, cutis, ſaliva, aut aqua madefiat oportet, poſteaque lapillus cauſticus imponatur, qui adopertus ſit, donec eſchar formatum eſt, et poſtea tractetur ac ſi cauterio actuali excitatum eſſet. Tamen quum ſuppuratio et effectus ex fonticulis inciſione factis citius ſequantur, cauteria nunc omnino omittantur.

Postquam parva incisio cum scalpello per cutem facta est, unum, duo vel tria pisa communia, balsamo aliquo illita, in vulnus imponantur, ubi biduum, aut triduum, penicillo et fascia supra adhibitis retineantur, suppuratio enim tunc expectanda est; post hoc auferri possint, et ulcus semel in die mundetur.

Cavendum est ne hi fonticuli figantur supra nervos, tendines, vasa sanguinea, aut musculorum ventres, ubi dolores, inflammationes, haemorrhagias, aut summam molestiam et difficultatem extraneas substantias retinendi, ex actione partium inducant.

Symptomata sequentia saepe usui horum fonticulorum superveniunt.

1mo, Inflammatio ex operatione quae auferri plerumque potest methodo antiphlogistica, simul cum applicatione emollientium cataplasmatum ad partem, ut citius fiat suppuratio.

2do, Ariditas quae corrigitur imponendo parvam quantitatem ungt. epispastici in fonticulum.

3tio,

3tio, Callositas hic aliquando accidit, ad quam removendam praecip. rub. applicetur; et si hoc non profit, pars indurata scarificetur.

Loca his fonticulis destinata sunt.

1mo, In cavitate, quam splenii musculi separantes ad vertebram secundam cervicis formant, vel inter scapulas et vertebras dorsi.

2do, In superioribus extremitatibus inter deltoidis musculi insertionem, et brachiaeum externum.

3tio, Circa quatuor digitos supra genu, in parte externa, inter vastum externum et bicipitem; in interna parte, inter vastum internum et gracilem: et etiam extrinsecus ad tres digitos infra genu, inter gastroenemicos et fibularem anticum, intrinsecus in parte anteriore gastroenemicorum.

Setaceum, quod tertia est species horum ulcerum, duo foramina invicem opposita habet, et chordâ trajectâ continuata. Haec ulcera a veteribus cauteriis actualibus peracta fuerunt; *viz.* cum forcipe cutem in loco constituto sublevarunt, tum ferrum candens per duo foramina rotunda,

quae

quae in forcipe fuerunt, ſimul cum cute immiſerunt, et ferro extracto, ſtatim chordam e ſetis porcinis (unde nomen) tranſegerunt; ſed nunc pro his ſetis, funiculis e goſſypio vel filis ſericis chirurgi utuntur, et hic funiculus unguento leni illinitus, adnexus eſt acui frigidae ferri, qua operator ſubter cutem perforat, et poſtquam ad ſpatium duorum digitorum eam direxit, rurſus educit.

CAUTELAE eaedem hic aeque ac in fonticulis neceſſariae ſint; ſed praeterea curandum eſt, ut tantum funiculi, quantum volumus in ulcere manere, bene inungatur, et etiam faſciae tam laxae retineantur, ne teneras partes laedant.

LOCA noſtri corporis in quibus ſetacea inſtituuntur, ſunt plerumque ad nucham, vel inter ſcapulas et ſpinales vertebras dorſi, at ſaepe pro morbis topicis in aliis partibus figuntur.

FONTICULI aut ſetacea interdum prae imperitia nimis diu retinentur, cum tantum humores laudabiles excreti ſunt; contra, ſaepiſſime nimis cito illa auferendo, quod evacuari debet in corpore cohibetur; igitur de tempore apto eorum ſanationi aliquid dicemus.

In junioribus, cum morbi fomitem omnino exhauſtum eſſe putetur, et ne vel minimum periculum in morbum relabendi ſe offert, bono victus regimine adminiſtrato, aegriſque ſemel aut bis purgatis, ulcus ſine ullo diſcrimine ſanari poteſt; et poſtquam ſanatum eſt, cicatricem, ſpiritu vini lavare neceſſe eſt.

In adultis aeque ac in ſenibus, ſi diu fonticuli aut ſetacea retenta ſint, niſi ultro ſicceſcant, vel diarrhaea aut aliquo tali morbo aegri correpti ſint, ſummum erit periculum in ulceribus claudendis; humores enim qui hic ad evacuandum adveniunt, non in alium uſum, *ſcil.* prae corporis incremento, ut in juvenibus, converti poſſunt; ergo brevi in ſanguinem redeuntes, in organum aliquod nobile incident. Hoc plerumque verum eſſe, Timaei haec obſervatio et alia exempla confirmant*: Homo per multos annos cum gravi ulcere in pede ſiniſtro conflictatus eſt, ad quod claudendum quoque pacto operam dedit, ſed quid accidit? Capitis acutus dolor ſtatim ſuccedit, propter quem ſetaceum

* Obſ. p. 60.

ceum in cervice locavit, et cito dolore liberatus eſt.

His de fonticulis ſetaceiſque in genere et ſpecie dictis, nunc pauca verba faciemus quando prophylacticus uſus eorum neceſſarius ſit, quod caſibus ſequentibus probatum erit.

Corpora noſtra ſaepe obnoxia ſunt morbis ex nimia quantitate aquoſae partis ſanguinis reſpectu caeterarum oriundis; quum hic humor in vaſculis lymphaticis, in membrana cellulari, aut in glandulis collectus ſit, laxitatem et inertiam ſolidorum inducendo, cauſam praebeat hydropibus, &c. quam primum percipimus ex tali inclinatione humorum propenſionem ad hos peſſimos effectus, ſi fonticuli in diverſis partibus corporis excitentur, hi illos humores ſuperfluos evacuando et ſic ſolida corroborando, multos morbos praevenirent. Hoc atteſtatur ſententia Hippocratis in lib. de aer. et loc. "Multos enim Scytharum reperias, exuſtos "humeros, ac brachia habentes, manuumque "juncturas, pectora, coxas, et lumbos, nullam ſane "aliam ob cauſam, niſi ob humoris et mollitiei "detractionem."

In

In morbis ex viſcidis humoribus orientibus, ut nonnunquam in rheumatiſmo lento, arthritide, &c. fonticuli et ſetacea fiant oportet, antequam tam duram concretionem materia obſtruens acquiſiverit, ut reſolvi non poſſit; ſi vero humor adhuc maneat gelatinoſus, ad vaſa contrahenda ac corroboranda adjuvent, ita ut talem humorem expellerent, et humoribus aliis noxiis ex ulla parte fluentibus reſiſtere valerent*; hic enim viae anguſtiores redduntur, neque ita facile humor ad articulos fluit.

Fonticuli ſetaceaque ſaepe probata ſunt eſſe optima praeſidia contra morbos, qui ex noxia materia in corpus recepta orientur; cujus aptiſſimum exemplum in peſtibus habemus; quum non ſolum proſunt in efferendis humoribus e corpore, qui talibus morbis faveant, ſed etiam quaſcunque noxias particulas jam ex aëre receptas ad exteriores partes divertant. Haec opinio Hildani eſt; in chirurgia enim ait †, "Neminem, quod notandum, "eorum qui fonticulos in cruribus et brachiis "habuerunt,

* Proſp. Alp. Med. Ægypt. cap. xii. p. 97.

† Cent. xiv. Obſ. 23.

" habuerunt, praeter unum aut alterum ſumme " cacochymicum, peſte obiiſſe memini.".

Quum ſymptomata pus in pulmonibus contentum eſſe indicant, quacunque ratione, fontanellam aut ſetaceum aperire debemus, ut humoris collectio ab irritatione et evacuatione prohiberetur; ſi enim hic humor in cellulis pulmonum ſtagnet, pulmonibus humore alieno impletis, aëreque excluſo, aſthmata cito adducentur, et aeger vehementi tuſſe laborabit, phthiſiſque vera ſequetur, et pereunt, Hippocrates* ait, " niſi inuſtio facta ſit." Praeterea febres hecticae ex reſorptione puris in ſanguinem, a venis nunc eroſis et magis patulis redditis ad humores noxios admittendos, et multae malae affectiones cerebri (cujus vaſa ſunt magis tenera et parva quam in ullo alio organo) praeveniantur.

Antequam mali humores in morbis catarrhalibus ita abundent ut morbos particulares producant, ſi fonticuli aut ſetacea formentur, humores noxii diuturna hac evacuatione excerni poſſint.

Claudin.

* De morb. mulier. lib. xi. § 8.

Claudin. in conſ. iii. obſervat, ſe catarrham in palatum fauceſque prolabentem ferociſſimam, peſſimaque ſymptomata minantem, ſetaceo in nucha compeſcuiſſe.

Fonticuli aut ſetacea in aegris excitata, quorum ſucci omnes vitiati ſunt, ut in ſcorbuto, commendantur praecipue, quando metus eſt humoris pravi in organa interna relabentis, et hic ſaepe miro ſucceſſu agunt, ſed aliquod medicinale regimen ſemper eorum uſum in his morbis contumacibus comitari debet.

FINIS.